





1775.<sup>u</sup> 378  
4  
Ed Grobner  
M  
**PACEM**

ET

**SOCIETATEM HUMANI  
GENERIS NATURA  
CONSTITVTAM**

EX IPSIS PRINCIPIIS

**T. HOBBIJ**

PROBATAM

DISPUTATIONE ACADEMICA

PROPONUNT

**PRAESES**

**IOH. FRID. HOMBERGK**

zu **Wach**

P. P.

ET


**RESPONDENS**

**CAROLVS GVILIELM. DE VERNAH**

DANTISC. BORVSS.

DIE VII. MARTII

b. l. q. f.



MARBVRGI CATTORVM,

Typis PHILPPI CASIMIRI MÜLLERI, Acad. Typogr. 1722

P A C E M  
ET  
SOCIETATEM HUMANI  
GENIUS NATURA  
CONSTITUTAM  
ET VIAS MANEAS  
T. HORRII  
PROGRAMM  
DISPUTATIONE ACADEMICA  
PROFICIENTI  
P R A E S E S  
IOH. ERID. HOMBERGER  
in  
P. P.

R E P R O D U C T A  
CAROLVS GVLIELMVS DE VERNALIS  
D. A. S. P. S. T.  
M. D. C. C. C. L. X. I. I. I.  
P. P.





DISPUTATIO

QVA

PAX ET SOCIETAS HUMANI GENERIS A NATURA CONSTITUTA EX IPSIS TH. HOBBI PRINCIPIS ET VERBIS PROBATVR.

PRAEFATIO.



Thomae Hobbii librum de Ciue, quo bellum inter omnes homines naturam constituisse probare voluit, plures refutare aggressi sunt; quo iudicio, quae diligentia non dicemus. Nos quoque Philosophiam eius examine & refutatione dignam olim existimauimus. Nunc vero in ea sumus sententia, manus cum eo non conferendas, nec argumentorum robore doctrinam eius oppugnandam esse, propter plures quas habemus rationes. Sufficere quippe credimus, si quis ostendat Hobbi in cap. i. de Ciue talia doctrinae suae subiecisse principia & fundamenta, ex quibus pax & societas humani generis a natura constituta maiore euidencia deduci & probari possit, quam bellum, quod ipse in Praefatione dicti libri euidentiissima connexionione ex illis se demonstrasse asserit. Id vero si fieri possit, luce meridiana clarius probatum arbitramur, principia eiusmodi falsa, inania & futilia esse, quia ex illis contraria fluunt dogmata; quod natura verae & apodicticae demonstrationis, qualem hic exigimus, non permittit.

Quare cum curriculo hoc hyberno Hobbi aliorumque principia examinasset, atque ad falsitatem eorum demonstrandam eo, quem diximus, modo, in gratiam nonnullorum

A

verae



*Pax & Societas hum. gen.*

verae & solidae scientiae Studioforum diligentissimorum vfi  
essent, lubet id, quod tunc priuatim egimus, Exercitii Aca-  
demici loco publice exponere. Qua in re ita verfabimur, vt  
verba omnia capitis i. libr. de Ciue recenseamus, eaque vel ex-  
plicemus, vel contrarias conclusiones, ad pacem & amicitiam  
humani generis stabilendam, ex illis eliciamus. Verba autem  
Hobbii, a nostris literarum discrepantia distingui curauimus.

CAPVT I.

DE STATV HOMINIS EXTRA SOCIETATEM  
CIVILEM.

§. I.

Introductio. **N**aturae humanae (verba sunt Hobbii) facultates ad  
quatuor genera reduci possunt, Vni corpoream, Ex-  
perientiam, Rationem, Affectum. Ab his doctrinae  
nostrae initium capientes, dicemus primo, quid animi  
habeant homines illis facultatibus praediti aduersus alios: & an  
& qua facultate apti nati sint ad societatem, & ad conseruandum  
se aduersus mutuam vim: deinde progredientes, quid consilii in  
eam rem necessario capiendum fuit, & quae sint societatis, siue  
pacis humanae conditiones, hoc est, mutato tantum nomine, quae  
sint naturae leges fundamentales, ostendemus.

§. II.

Societatis  
civilis ini-  
tium esse a  
mutuo me-  
tu.

Eorum, qui de Rebus publicis aliquid conscripserunt, maxi-  
ma pars vel supponunt, vel petunt, vel postulant, Hominem esse  
animal aptum natum ad societatem, Graeci dicunt ζῷον πολιτι-  
κόν, eoque fundamento ita superaedificant doctrinam civilem, tan-  
quam ad conseruationem pacis & totius generis humani regimen  
nihil aliud opus esset, quam vt homines in pacto & conditiones  
quasdam, quas ipsi iam tum leges appellant, consentirent. Quod  
Axioma

27  
ex ipsis Hobbii princip. probata.

Axioma, quamquam ab aliquibus receptum, falsum tamen, errorque a nimis leui naturae humanae contemplatione profectus est.

Perpendamus ergo quatuor illas humanae naturae facultates, a quibus Hobbii doctrinae suae initium capiendum iudicauit, & videamus, num ex illis sequatur, hominem, quae veterum fuit sententia, esse animal quam maxime ad societatem aptum natum; & si quidem id videbitur, dicamus, Hobbium leui nimis humanae naturae contemplatione deceptum, aliis persuadere voluisse, veterum sententiam esse falsam, vel dolosa cavillatione & verborum aucupiis voluisse alios in suam sententiam pertrahere, vel non serio & per iocum rem tam seriam & grauem tractasse.

Quatuor certe facultates, quas §. 1. fundamenti loco doctrinae suae substernit, suadent, hominem esse natura aptum ad societatem. Nam *Vis corporea*, vt ab hac ordiamur, hominem ad eam non ineptum reddit, sed aptissimum. Etenim vi corporea egemus omnes ad quasuis naturae necessitates subleuandas, ad paranda omnia, quae corpori tegendo & conseruando inseruiunt. Per vim igitur illam apti sumus omnes, ad alios opera, viribus & labore iuuandos, quando soli sibi non sufficiunt: atque ita apti sumus ad pulcherrimum societatis officium, quod consistit in beneficiis hac facultate praestandis, sicque ad ipsam societatem. Corporis quoque viribus opus est, vt animis aliorum prosumus docendo, consulendo, hortando, & ad quaecunque alia officia & beneficia. Apti tandem sumus ad alios etiam corpore nostro defendendos. Vt enim natura nos fecit nudos, ita quoque inermes. Bestiis quidem de necessariis ad vitam prouidit, & praeterea arma illis adiunxit, ac Leoni quidem *χάρμα ἀδύτων* vt Anacreon canit, *hiatum dentium*, Cornua Tauro, Accipitri unguis rapaces; sed homini nihil dedit, praeter vires, quae labori necessario sufficerent, &

A 2

manus

quod  
homo a natura  
sit sociabilis  
egregie demonstratur  
et  
Rationes Hobbii  
seruati reputantur.

*Pax & Societas hum. gen.*

manus, quibus laborem perageret, sibi que pararet industria, quae natura subtrahit. Igitur ob Vim corpoream ad societatem nemo ineptus est. Quid enim possemus sine corpore, sine quo ne homines quidem sumus?

Quod autem homo non solum *aptus* fit ad societatem, sed & velit societatem quamcunque colere, & aliis prodesse, probat *Experientia*, quam secundo loco inter facultates hominis naturales posuit Hobbius. Oculis enim videmus illos, cum quibus hodie in societate vivimus, ad eam aptos esse. Idem accepimus de vniuersis fere gentibus a mundo condito. Prostant quoque exempla innumera eorum, qui genus humanum & singulos maximis beneficiis affecerunt, quorum nomina partim atris illata diuinum quasi honorem consecuta, partim vero multis laudibus celebrata gloriam satis magnam apud posteros adepti sunt.

*Ratio* etiam, quae tertia est facultas, nos facit omnino sociabiles. Indicem enim rationis constituit Natura sermonem; ne scilicet alios laterent sensa animi, nec nobis solis saperemus, sed & aliis parte nostra diuiniore prodesse possemus. Haec quoque praeterea docet, omnes aequalis esse naturae, conditionis, infirmitatis & originis; sicque amicos, cognatos, fratres, qui commune habent mundi domicilium, communem terram, solem, aërem, vnum Deum, eundemque vitae scopum & exitum, caeteraque, quae hoc loco inculcare non est necesse, quia sufficit hanc facultatem societati non repugnare. Ex ratione quippe plura alia pro societate possunt formari argumenta. Ratio vero homini naturalis est.

*Affectus* tandem hominibus inditi, *humanitatis, liberalitatis, misericordiae & amoris*, societatem non tollunt, sed ad eam stabiliendam vnice conducunt. At vero hi omnes sunt a Natura: idque infantes docent, qui illis reguntur, antequam ratione vtuntur, quibus nihil humanius est, nihil liberalius, nihil ad amo-



ad amorem & misericordiam magis pronum. Quin & in bestiis cernuntur affectus illi, quia se mutuo iuuant, nec vlla earum species existit, quae ad perniciem suae speciei tendat, aut in indiuidua admodum faeuat, sed singulae reliquas aequaliter sole, aere, aqua & cibus frui patiuntur. Igitur quatuor illae facultates ab Hobbio fundamenti loco propositae, hominem ad societatem non reddunt ineptum, sed aptissimum.

*Causas enim, pergit Hobbius, quibus homines congregantur & societate mutua gaudent, penitus inspectantibus facile constabit, non ideo id fieri, quod aliter fieri natura non possit, sed ex accidente.*

At causas illas inspectantibus constabit, ideo vtique id fieri, quod aliter fieri natura non possit. Nam vt generalia praemittamus, ne quidem extra societatem hominum nasci & sole atque vita frui possumus: deinde, quatuor illae facultates de quibus modo egimus, nos ad societatem impellunt. denique extra societatem sermo plane inutilis esset futurus: ille vero a natura est & ad finem aliquem datur. Actus ergo, qui societatem turbant, vt iniuriae, pugnae & bella sunt ex accidente, non ex naturae instituto. Quod si autem ad societatem in genere a natura impellimur, ad omnem impellimur, quae honesta est, etiam ad ciuilem: quod semel dixisse sufficiat. Sed videamus quas causas assignet.

*Nam si homo hominem amaret naturaliter vt aequè hominem, nulla ratio reddi posset, quare vnusquisque vnumquemque non aequè amaret, vt aequè hominem; aut cur eos frequentaret potius, in quorum societate ipsi potius, quam aliis defertur honor & vtilitas; Addam, etiamsi interdum nullus honor deferatur, imò si quis eorum societate vtatur, qui sibi solis omnia deberi putant, qui omnia rapiunt, reliquos laedunt, commodisque illis debitis, siue honor sit, siue alia quaeuis vti-*

A 3

litas,

litas, priuant, & vt id obtineant variis fraudibus, artibus & astutijs decipiunt, nihilominus hominem esse animal natura sociale. Nam experientia constat, nos eiusmodi societates non fugere, sed frequentare. Non ergo homines naturaliter odio habemus, sed amamus: idque mirum videri non debet, si communis nostrae naturae facultates saltem obiter consideremus. Hae enim & iudicium nostrum & actiones in quibusuis congressibus dirigunt & dirigere possunt, nobis etiam nesciis & inuitis. Nam *Experientia* docet, homines vel casu, vel certo consilio congregatos, non aequalis esse ingenii, conditionis & naturae, sed, vt paucis dicamus, partim bonos, partim malos, ipsos etiam, qui non omnino mali sunt, non eadem dignitate & meritis praeditos existere. Non possunt ergo omnes aequalem honorem & vtilitatem in societate concupiscere & exigere, Ratione id prohibente: sed vnusquisque eo honore censendus est, quem meretur (quod & in pretio aliis rebus creatis ponendo obseruari solet) pro modo scilicet, facultatum, intellectus & voluntatis, vel etiam corporis, quibus, ad commune generis humani bonum promouendum, natura instructus est. Vnde sequitur, per rerum naturam fieri non posse, vt in congressibus aequalis omnibus deferatur honor, non magis quam fieri potest, vt omnes sint primi; vel vt vnus stet in eo loco, quo alius stat: nisi forte omnibus aequalia plane adsint virtutis insignia, omnibus aequae nota, & simul sincerum de his & concurs ab omnibus feratur iudicium. Nam si ignoti congregentur, iudicium ferri nequit. Sia vero ordo communi quadam lege sit definitus, legem illam sequendam esse, quia in eam consensus, ratio dicitat, quam mox consulemus.

Quamuis etiam sint, qui sibi omnia rapiunt, qui mendacijs, fraudibus, furtis, latrocinijs omnia reddunt infesta, eadem tamen docet *Experientia*, illos nihilominus cum aliquibus societatem colere,

29

colere, nec in omnes hostili esse animo: id vero sufficit, vt probetur, eos aptos ad societatem natos esse, & posse etiam nobiscum aequabili iure viuere, si velint. Sunt enim quatuor illis facultatibus praediti, aequae ac nos. Vel si illis laeua natura omnem abstulit humanitatis sensum, reliqua certe hominum indiuidua, non eo minus sociabilia putanda sunt; quia meminisse debemus vt alibi, ita & hic naturam abortus producere, monstra & portenta; haec vero inter reliqua generis sui indiuidua recta communis naturae forma praedita, vinculum non tollere, quod natura inter omnes constituit.

Ipsa quoque *Ratio* nos multis modis in societate cum hominibus etiam iniustissimis continet, atque demonstrat, nos ad societatem, in qua aliis plus defertur, quam nobis, nec ineptos, neque illam fugiendam esse. Nam pro eo, quo plerique ducuntur humanitatis sensu, non solent, neque possunt, etiam pessimi, omni omnino societatis vtilitate nos priuare, etsi forte aliqua in re nos laedant, aut minus tribuant. Nam qui minus honorant, honorant tamen, & sic sociabiles sunt. Quin alio tempore mutato animo omnia tribuent, quae volumus, virtutum nostrarum documentis, quae ignorabant, permoti. Vt enim homo aptus credatur ad societatem, etiam ciuilem, non requiritur, vt continuo actu tribuat honorem & commoda, quae alii volunt, sed vt possit tribuere. si tempus & occasio postulet, & si digni sint, qui illa postulant. Ipse Sol vitae nostrae fomes, oculis nostris sese subtrahens, tenebras alternis vicibus, nec non hyemem & frigus relinquit. Neque necesse est in omnibus hominum congressibus vt singulis hominibus placeamus. Si enim aliqui forte minus honoris aut vtilitatis nobis tribuant, alios vel inferioris conditionis, vel melioris erga nos voluntatis conuenire licet, qui tribuent, quod nobis deberi putamus. Semper enim reperiemus coetum aliquorum, qui nos laudabunt

dabunt & honorabunt; quod si fiat, societate certe fruimur. In hunc sensum Cicero usurpauit illud Homeri Epist. 7. ad famil. lib. 3. Παρ' ἐμοὶ γὰρ καὶ ἄλλοι, οἱ καὶ με τιμῶσιν, μάλιστα δὲ μητίετα Ζεὺς. *Apud me alii erunt, qui me honorabunt, maxime vero prudens Iupiter.*

Ad haec honor ille & utilitas, quae homines in omnibus congressibus appetere dicit Hobbius, non sunt fundamenta societatis a natura ei subtrata, sed accessoria. Igitur, si illa semel vel iterum vitio hominum deficiant, non deficit ea propter societas. Nam ratio Naturae ordini repugnare nequit, quia spectatrix eius & imitatrix est. Ordo vero id habet, ut mala sint mixta bonis, aduersa secundis. Vetat ergo ratio societatem & ordinem ideo deferere, quia interdum minus lucrosa est. Nunquam enim repertus fuit aut reperietur coetus atque societas aliqua hominum, quae omnibus ad aequalem singulorum usum, sine vlla inaequalitate aut damno abundet. Accedit, quod spes optima de hominibus pessimis sit fouenda, fore aliquando ut feritate naturae bestialis exuta, humanum induant animum. Nam ut recte Plato neminem sponte malum dixit, & si Poetae credimus:

Οἱ αὐτῶ κατὰ τεύχεϊ ἀνὴρ ἀλλὰ κατὰ τεύχεων.

*Sibi ipsi mala fabricatur vir alii mala fabricans.*

ita certe, donec illi per legem Radamanthi in plagas incidant, quas aliis tendunt, ferendi sunt, ut terrae motus, imbres, calamitates aliaeque naturae mala, quae interuentu meliorum solent pensari. Nulla itaque apparet ratio, cur societates minus lucrosas homines frequentare nolint, aut cur non ad eas etiam apti sint, propter lucrum aliquod particulare cessans. Innumera enim sunt societatis lucra. Si vnum deficiat, alia supersunt plura. Multo minus vero apparet, quare ad societates eiusmodi inepti sint, qui illis, quas dixi, facultatibus vtuntur.

vtuntur. Sed hoc ipsum magis confirmabit quarta hominis facultas,

*Affectus* nempe *liberalitatis, misericordiae & amoris*. Liberalitate enim ad demulciendos hominum, etiam hostium, animos nihil accommodatius, nec efficacius. Munera placant homines, atque efficiunt, vt, quae antea tibi minus lucrum afferebat societas, nunc summum conferat honorem summamque vtilitatem. Idem humanitas atque comitas praestat, etiam simulata. Misericordia quoque & amor animum sociabilem feruat aduersus ipsos hostes: vt ex eo solo appareat nos ad societatem factos esse. Nam cum mali non sint sponte mali, vt diximus, misericordia omnino digni sunt, quia mala sua non vident, sed prauitatis propriae stimulis incitati non solum homines, sed & naturam oppugnant, ne Ioui quidem parcituri, more gigantum, si ei nocere possent. Nemo est, quem non miseret hominis, qui corpus habet morbo confectum, aut mutilum, aut membra distorta & vulneribus vlceribusque, ac cicatricibus deformata: multo magis ergo misericordia digni sunt, qui talem habent animum. Quorum autem miseremur illos amamus. Amor vero societatis vinculum est & firmamentum. Imo si vel odio digni essent, amor tamen vniuersalis, quo omnes homines complectimur, ad societatis conseruationem sufficit, nec vincitur odio, quod singuli forte incurrunt, quamuis iusto. Omnes itaque humanae naturae facultates etiam inaequalem & iniquam societatem tuentur.

*Non socios igitur, sed ab illis honore vel commodo affici, natura quaerimus; haec primario, illos secundario appetimus.* Contrarium ex dictis fluit: qui enim eam quoque societatem colit, ex qua exiguum vel nullum commodum habet, non potest ad solum lucrum respicere. Et si vel hoc faceret, esset tamen ad societatem aptus quod in quaestione est. Nam vt

B

Cicero

Cicero ait, etsi omnia nobis, quae ad victum cultumque pertinent, quasi virgula, vt aiunt, diuina suppeditent, solitudinem tamen vitaremus & socium studiorum quaeremus, quasi nullius boni sine socio iucunda sit possessio. Et vt apes fingendorum fauorum causa non congregantur, sed cum natura sint congregabilia, fingunt fauos: sic homines multo magis natura congregati adhibent agendi solertiam, & ad mutua commoda feruntur. Hinc cum ignotissimis nullo negotio amicitiam contrahimus, ac humanitate illis coniungimur sine vlla vtilitatis cogitatione, quia nihil humani a nobis alienum esse scimus. Quamuis etiam diceremus, nos *secundario* socios appetere, commoda vero nostra *primario*, verum tamen esset, etiam eum, qui *secundario* socios appetit, illos appetere, atque ita se ad societatem aptum demonstrare.

*Quo autem consilio homines congregentur; ex iis cognoscimus quae faciunt congregati. Si coeant enim commercii causa, vnusquisque non socium, sed rem suam colit. Dicendum fuerat: & socium & rem suam.* Ac socium quidem, quia sine eius auxilio raro aliquid commodi obtineri potest: Rem vero suam, ob necessitates, quibus omnes vrgentur. Id vero vt faciamus, Lex non solum permittit, sed & iubet. Voluit enim illa vt alter alterius sit oculus, manus, pes & reliqua, atque vt communia commoda procuremus. Recte itaque & iuste nostri quoque commodi causa aliorum societatem expetimus. Quatuor enim illae facultates a Naturae concessae, quarum toties mentionem fecimus, etiam imperitissimo demonstrant, naturam non constituisse inter homines communitatem quandam sterilem, infructuosam, aut inutilem, sed potius omnibus & singulis, qui sunt de humano genere, vtilissimam. Quod autem vni concessit natura, id ad omnes aequae pertinet. Communitas illa bonorum & iurium quorumcunque non nisi mutuis officiis stabiliri potest,

potest, si ego tibi prosum, tu vero mihi. Sic demum aequale inter omnes ius & amicitia perpetua non solum, sed & fraternitas atque amor ex instituto naturae conseruatur. De hoc solo quaestio est, & esse debet: non vero de eo, quid homines interdum faciant.

*Si officii causa* (congregantur) *nascitur inter eos forensis quaedam amicitia, plus habens mutui metus, quam amoris: unde factio aliquando nascitur, sed beneuolentia nunquam.* At forensis quoque amicitia est amicitia, atque amicitia semper sponit societatem; hac vero posita, necesse est hominem esse animal sociale & politicum. Nec forensis solum amicitia, sed etiam vera & perfecta nascitur inter bonos eosque solos. Oritur quoque saepissime ciuilis quaedam amicitia, quae inferior quidem est hac perfectissima, vulgari autem illa, qua omnibus omnino hominibus iungimur, superior, & fallaci, assimulatae & mendaci longe praeferenda, quia ad vitam externam tranquille degendam fere sufficit. Omnes hi amicitiae gradus probant, hominem consideratum vt hominem, ad societatem aptum esse. Imperiti autem & simplicis admodum hominis est, primo statim congressu veram amicitiam quaerere. Vnde mirum non est, si ab infimo eius gradu initio sumto, cum illis quidem in hoc gradu subsistamus, cum his vero paulatim ad reliquos gradus procedamus. Sic beneuolentia semper, licet forensis, etiam inter malos nascitur, quae nec vtilitate destituitur, & in veram amicitiam facile mutari potest. Si quae factiones oriuntur, per accidens illae, praeter naturae intentionem & hominum vota oriuntur, mallent enim hi, quod cupiunt, sine diffidiis obtinere: nisi forte quem malus nimis genius vrat & vrgeat, vt diffidia & zizanias seminando putet ex iis aliquem fructuum prouentum sibi quaeri posse.

Tantum etiam abest, vt factiones societatem oppugnent, vt

B 2

plane

plane societate content, & per se ad se ipsas & communem quoque societatem conseruandam tendant. Metus quoque mutuus, per quem Hobbius nil aliud quam diffidentiam intelligit, nec societatem tollit, nec hominum aptitudinem ad eam ineundam minuit. Nam & qui metuunt, ideo metuunt, quia nolunt amittere quod habent, id est, societatem, quam ipsi seruare cupiunt, & ab aliis seruari posse sciunt, atque vt ab illis, quos metuunt, seruetur, vehementer optant. Ipse ergo metus supponit societatem & homines ad eam aptos esse. Stultus enim esset, qui metueret, quod per rerum naturam aliter fieri nequit, v. gr. ne ignis calidus, aut aqua sit fluida. Ergo qui metuunt, societatem sciunt existere & volunt eam consistere, vt salui sint, & per consequens sociabiles sunt.

*Si animi & hilaritatis causa; solet maxime perplacere sibi vnusquisque iis rebus, quae risum excitant, vnde possit, (prout est natura ridiculi) comparatione turpitudinis vel infirmitatis alienae ipse sibi commendatior euadere.* Facultas vero risum excitandi vti naturalis est, ita extra societatem nullum habet vsum, & vel sola hominem natura sociale esse probat. Magnae quoque vtilitatis est. Sic enim quisque elegante ingenio, & sermone fruitur ipse aliisque id praestat, vt tempus illis fallat, quod ipse forte & alii nonnisi cum multo taedio transigere, & meliori vsui impendere nesciunt. Sibi tandem placet ipsi, & aliis quoque, sed non nisi illis, qui ingenio aequo ridiculo praediti ludicris magis delectantur, quam seriis & honestis sermonibus: eorumque amicitiam hoc pacto vel comparat, vel viam sibi ad illam obtinendam sternit. Quae certe omnia non sunt contemnenda societatis humanae solatia, commoda & emolumenta. Id quoque lucratur, vt comparatione turpitudinis & infirmitatis alienae propria possit videre vitia & intelligere quid deceat: idque si negligat, reliqui par pari referendo laruam



laruam illi detrahent, verumque dicent ridendo, vt latere id eum amplius non possit. Fructus vero facultatum naturalium in societate quaerere & percipere, nec naturae repugnat, quae nos ad societatem impellit, nec fini eius.

*Etiamsi autem hoc innocuum aliquando & sine offensa sit, manifestum tamen est, delectari eos non prius societate, quam gloria sua. Satis est eos societate delectari, vt sociabiles credantur. An gloriam suam societati praeponant, an postponant, an pari passu ambulare sinant, ad rem nil facit in eo loco, vbi quaerimus, an homines sint sociabiles, vt hic.*

*Caeterum plerumque in huiusmodi congressibus laeduntur absentes, eorumque tota vita, dicta, facta examinantur, iudicantur, condemnantur, & diuersis traducuntur: neque parcitur ipsis confabulantibus, quin idem patiuntur simul atque e confessu exierint: adeo vt non absurdum fuerit eius consilium qui a scena confabulantium exire nouissimus solebat. Inter praestantissimas humanae societatis utilitates est haec, vt a sapientioribus & prudentioribus, vel & aliis moneamur de iis, quae ad nos emendandos conducunt: quod non minus verbis fieri potest, quam exemplis. Quare si male de nobis loquantur, vera tamen dicant, est, quod nobis imputemus & discamus, quae vitanda & fugienda sunt, etiam ab hostibus vel inimicis: nam hi plus saepe ad emendationem nostram conferunt, quam amici, qui vitia nostra aut dissimulant aut excusant. Sin falsa dicant de nobis, iniurii quidem sunt, salua tamen eorum sociabilitate; possent enim vera loqui & hactenus boni esse focii, si vellent: imo alibi officio sociorum recte funguntur, vt dubitandum non sit eos sociales esse. Nec absurdum fuit consilium eius qui a scena nouissimus exire solebat. Ita enim omnium ille moribus cognitis, qui cauendi erant, optimè, norat: quod ipsum quoque societatis fructus est.*

*Atque hae verae sunt deliciae societatis, ad quas natura, id est, ab affectibus omni animanti insitis ferimur, donec nocumentis vel praeceptis fiat (quod in multis nunquam fit) ut appetitus praesentium memoria praeteritorum retundatur: sine quibus plurimorum hominum in hac materia facundissimorum, frigida & ieiuna est oratio.* Si natura ferimur ad illas delicias, ut A. ait tum ytique natura ad societatem nos impellit. Hoc vnicum hic obseruare satis est. Praeter illud vero in transitu moneamus: duplicem esse naturam hominis, bestialem & rationalem, cui forte & tertia addi potest. Auctor in verbis citatis ad solam naturam bestialem respicit, idque satis inscite: nam animalia non fruuntur illis deliciis, quas in praecedentibus proposuit: quia soli animanti ratione praedito conueniunt. Constat etiam, quas Auctor recensuit, non esse *veras* societatis delicias, ut ipse eas appellandas censet, sed aliae dantur eaeque verae deliciae. Nec probamus sententiam Auctoris, existimantis solis praeceptis, nocumentis, disciplina & consuetudine hominem demum animal sociale fieri. Nam in iis omnibus, quae Natura voluit propagari, hanc seruat constanter rationem, ut ab initiis satis tenuibus ad perfectionem illa perducatur. Nulla quoque ars, nulla institutio aut disciplina, in quacunque re aut praeter, aut supra, aut contra naturam eius quidquam producere potest. Sed haec obiter.

*Quod si accidat confidentes historiolas narrare, vnus autem de se aliquam proferat, vnusquisque ceterorum cupidissime quoque de se loquitur. Si vnus mirabile aliquod narret, caeteri miracula, si habent, referunt, si non habent, fingunt.* Nouas Auctor comminiscitur fabulas, quibus tamen omnibus societas probatur & confirmatur. Nam historias sibi mutuo narrare, & mirabilia quaeque exemplis confirmare, non est factum, quo alienus hominum a societate animus probatur, sed vnde naturae potius

potius instinctus ad eam luculenter demonstratur, sine vllō utilitatis respectu. Nam ideo eas narramus, vt alii quoque sciant, quod nos soli scire nolumus, aut non debemus. Si voluptas inde ad nos aut ad alios redundat, repetenda sunt ea, quae supra diximus. Affectus quidem garrulitatis hic vim suam exferere potest: verum & hic affectus societati inferuit, licet vitiosus. Vbi de vera & solida doctrina stabilienda, & de contraria refutanda agitur, cauendum est ne argumentis vtamur nimis inuidiose ab abusu petitis. Id enim ridiculum.

*Deinde, vt loquar de iis qui profitentur prae caeteris sapere, si Philosophiae gratia cocatur, quot homines, tot sunt, qui caeteros docent, nempe tot volunt Magistri haberi; alioqui socios non modo, vt alii, non se amant mutuo, sed odio prosequuntur.* Vnusquisque non solum ius habet, sententiam suam in societate dicendi & ad communem utilitatem proferendi, quae scire aliorum interest, sed & tenetur. Habent etiam homines instinctum aliquem ad hunc finem utilem, teste Cicerone, imo necessarium. Nam si, vt supra dictum, nulla re egeremus, socium tamen studiorum quaereremus, & tum docere, tum discere vellemus, tum audire, tum dicere, vt ille ait. Quod si ergo huic instinctui quis iungat stultam opinionem, Doctoris & omnium artium liberalium Magistri, quid inde decedet societati? Vult ille officio hominis satisfacere, & simul stultitiam suam prodere. Ipse quidem solus fruetur stultitia sua. Quin & alii, si vulgus eum admiretur & officiis praeponat. Nihil tamen est, quod impediatur talem esse socialem, nec vt omnes eius socii sint sociales. Iure erit Magister in hac re, vel hoc loco, si cum sui similibus, vel idiotis res ipsi sit, vel & in sua arte: alibi erit discipulus, & forte ne dignus quidem.

*Clarum adeo est experientia omnibus, qui res humanas paulo attentius considerant, quod congressus omnis spontaneus vel egestate*

egestate mutua conciliatur, vel captanda gloria: unde referre student congregientes vel commodum aliquod vel illud *ὑδοκίμειν* existimationem & honorem apud socios. Auctor experientia dicit clarum esse, quod omnis congressus spontaneus egestate concilietur vel gloria. Nos iam ostendimus, quod omnis congressus fundamentum sit instinctus a natura datus, eumque primam & praecipuam efficiens causam, quae homines sibi inuicem conciliet. Ostendimus quoque utilitatem & honorem, qui partim debet accedere, partim potest & solet, intentionem seu legem Naturae nec tollere nec mutare: quod ipsis ab Auctore allatis argumentis probauimus, quae omnia id euincunt. Hoc vero obiter rursus monemus: Hobbium statum controversiae, qui est, an homo natura sit animal sociabile, hoc loco mutare. Concludit enim, congressus omnes conciliari duabus causis. At vero alia quaestio est, an aliquid sit natura tale; alia, si secundum vel & contra Naturae voluntatem ab ingenio humano ad naturae impetum causa quadam suadens aut impellens accedat, an res ipsa naturalis esse desinat. Falsum quoque est, omnem congressum egestate conciliari aut gloria. Tandem, is videri nequit, res humanas attente considerasse, qui partem earum optimam & praestantissimam negligit, deteriorem solam sine iudicio inculcat, quod & multi alii faciunt, quorum instituto tamen id non conuenit.

*Idem quoque ratione colligitur ex ipsis definitionibus voluntatis, boni, honoris, utilis. Cum enim societas voluntario contrahatur, in omni societate quaeritur voluntatis obiectum, hoc est, id quod videtur unicuique congregientium bonum sibi. Quicquid autem videtur bonum, iucundum est, pertinetque ad organa, vel ad animum. Igitur si ad bonum natura ferimur, vt lapis fertur deorsum, quod A. infra docebit, societas est bona; innumera enim bona hominibus procurat. Nec ad societatem*

cietatem ferimur praeceptis & institutione, vt ille putat, sed natura. Neque enim pugnat aliquid esse natura & tamen praeceptis & institutione egere, vt sit id, quod natura esse voluit. Ipse ergo Hobbius societatem a natura constitutam hic fatetur, quod supra negabat. Non examinabimus, cur dixerit: *quod videtur bonum, sibi*, ne a scopo aberremus.

*Animi autem voluptas omnis vel gloria est (sue bene optinari de seipso) vel ad gloriam ultimo refertur: caetera sensualia sunt, vel ad sensuale conducentia, quae omnia commodorum nomine comprehendere possunt. Omnis igitur societas vel commodi causa vel gloriae, hoc est, sui, non sociorum amore contrahitur. Quamuis omnis societas gloriae vel commodi causa contraheretur, quod tamen falsissimum est, & impossibile, non possemus tamen non amare socios, quorum ope commoda & gloriam acquisiuimus, quia soli id non possumus: & certe amare illos debemus, quia nobis honorem & gloriam actu tribuunt, venerationem scilicet, obsequio, iudicio, signisque aliis: nisi forte quis infra bestiarum conditionem sua prauitate sese praecipitauerit. Nam & bestiae benefactores suos amant eisque gratiam referunt. Id enim faciunt canes. Media eodem amore digna sunt, quo finis, si humano more loquamur. At socios commodos, aequos & vtilis amare naturale est. Alias enim nec Deus amandus esset. Non disquiram an omnis animi voluptas sit gloria, nec an definitio eius sit vera. Hoc saltem ad dam, dari tertium eorum, quae proposuit, vt scilicet quis & commodi & gloriae causa & sociorum amore contrahat societatem. Vnius quippe actionis plures esse fines non repugnat.*

*Gloriae autem studio nulla iniri neque multorum hominum, neque multi temporis societas potest; propterea quod gloriatio sicut & honor, si omnibus adsit, nulli adest, quippe quae comparatione & praecellentia constant: neque vt quis causam gloriam-*

*gloriandi in se habeat, adiumentum vllum accedit ex aliorum societate. Tanti enim quisque est, quantum sine aliorum ope ipse potest. Quae hic afferuntur, ad scopum nostrum non valde pertinent. Praetereundum tamen non est, falsum esse, quod honor, vbi omnibus adest, nulli adfit. Nihil quippe impedit, quin multi aequali honore fruantur. Licet etiam inaequali honore digni essent, omnes tamen honore gauderent. Falsum item est, nullum adiumentum ad honorem accedere ex aliorum societate. Nam virtutem, quae solum est fundamentum honoris, legitimi loci tui, qualescunque sint, siue boni, siue prauis, conferre non possunt: honorem vero (i. e. opinionem apud aliquos, non apud omnes) tribuere possunt, quod experientia docet. Falsum denique est, certo sensu, tantum quemque posse, quantum sine aliorum ope ipse potest. Recipit enim hoc distinctionem. Si virtutem cuiusque spectes, tantus quisque est, quantum ipse potest, vel corporis viribus, vel animi & ingenii. Sic gigas robustior dicendus homine mediocri plane robustior: nec infanti, etsi Hercules cothurnos illi aptemus, potest tanta staturae proceritas tribui, quanta homini adulto; Idiota non potest, quod vir doctus; & omnes artis alicuius aut scientia periti ex eo aestimandi sunt, quod ipsi possunt, non quid possint illi, quorum vitula arant, aut quorum opera sibi tribuunt & vindicant. Sed in ea praecipue societate, quam Hobbius fingit, pro miraculo haberi debet sine dubio, si quis aut commodum aliquod, aut gloriam acquirat sola virtute, sine aliorum ope. In perfectissima quoque societate non immerito aliquid tribuendum est illi, qui aliorum auxilio quiduis potest efficere & consequi.*

*Quaquam autem commoda huius vitae augeri minus ope possint, cum tamen id fieri multo magis dominio possit quam societate aliorum, nemini dubium esse debet, quin quiduis ferrentur hq.*

zur homines natura sua, si metus abesset, ad dominationem, quam ad societatem. Statuendum igitur est, originem magnarum & diuturnarum societatum, non a mutua hominum benevolentia, sed a mutuo metu extitisse. Si, vt Hobbius ait, homines natura sua avidius feruntur ad dominationem, vbi metu carerent, quam ad societatem, ex eo ipso sequitur, eos etiam natura ferri ad societatem. Nam metus ille (i. e. diffidentia) homini naturalis est & congenitus. Quod igitur metu naturali impulsus facit, id natura cogente facit; naturali autem metu fertur ad societatem civilem: ergo etiam natura ad illam fertur. Deinde, quamuis ponamus nos natura avidissime ferri ad dominationem, tamen verum atque euidens est, nos simul quoque ferri ad societatem, quia dominatio est societas, aut ad minimum sine societate existere nequit. Ex ipso igitur hoc Auctoris argumento sententia illi contraria probatur. Num commoda hominum magis augeantur dominio, quam societate, non examinabimus. Contradicit etiam sibi ipsi in *Annotatione* prima ad hunc §. vbi docet, homines (plerosque) ineptos esse ad societates civiles, quia hae sint foedera, quibus faciendis fides & pacta necessaria sint. Eodem tamen loco admittit aptitudinem hominum generalem ad quosvis congressus; cum tamen primo sufficiat, aliquos saltem homines esse ad societatem aptos (hoc enim posito, ratio idonea reddi nequit, cur reliqui inepti sint) & deinde generalis illa aptitudo Veterum sententiam fatis superque veram esse euincat.

§. III.

*Causa metus metui consistit, partim in naturali hominum Homines aequalitate, partim in mutua laedendi voluntate. Ex quo fit, natura ac- ut neque ab aliis expectare, neque nobismet ipsis securitatem quales esse praestare valeamus. Si spectemus enim maturos homines, atque inter se, animaduertamus, quam fragilis sit compages humani corporis:*

C 2

(quo

(quo ruente corrumpit omnis eius vis, robur & sapientia) quamque facile sit infirmissimo cuique robustiorem occidere, non est quod quis viribus fidens superiorem se aliis factum putet a natura. Aequales sunt, qui aequalia contra se invicem possunt. At qui maxima possunt, nimirum occidere, aequalia possunt. Sunt igitur omnes homines natura inter se aequales. Inaequalitas quae nunc est, a lege civili introducta est.

Quod homines natura aequales sint, multo melius probatur ex mutua benefaciendi voluntate & facultate, iuxta ea, quae supra de quatuor illis Hobbii facultatibus dicta sunt, quam ex sola laedendi voluntate, qua Auctor nititur. Quin existere homines arbitror, qui animo & affectu alios laedendi plane destituuntur, neque ex aduerso quenkum adeo pravae mentis esse, qui omni benefaciendi voluntate destituatur. Cur igitur illam solam virgemus, hac neglecta? Cum tamen voluntate benefaciendi omnes indistincte sint praediti: voluntate vero laedendi multi careant. Est quoque inaequalitas quaedam a natura introducta. quod praetermittendum non est, ne quis putet, omnem inaequalitatem esse a lege civili, quod Auctor asserit.

## §. IV.

*Vnde nascitur mutuo se laedendi voluntas.* Voluntas laedendi omnibus quidem inest in Statu Naturae, sed non ab eadem causa neque aequè culpanda. Facultas quoque benefaciendi omnibus quidem inest in Statu Naturae, sed non ab eadem causa, ut A. loquitur, semper tamen laudanda; nisi ab animo hostili forte profisciscatur, nam *ἡ ἐξ ἐχθρῶν δὲ ἀγαθὰ ἀδωγα.*

Alius enim secundum aequalitatem assumentam permittit caeteris eadem omnia quae sibi; quod modesti hominis est, & vires suas rectè aestimantis: Alius superiorem se aliis existimans, omnia licere sibi soli vult, & praeceteris honorem sibi arrogat, quod ingenii ferocis est. Huc igitur voluntas laedendi est ab inani gloria & falsa virium aestimatione. Illi ex necessitate res suas & libertatem contra hunc defendendi.

## §. V.



## §. V.

Præterea cum maximum sit certamen ingeniorum, neceſſe eſt oriri ex ea contentione maximas diſcordias. Etenim non modo contra contendere, ſed etiam hoc ipſum non conſentire, odioſum eſt. Nam non conſentire alicui in re aliqua, eſt eum erroris in ea re tacite accuſare, ſicut in valde multis diſſentire idem eſt atque pro ſulto eum habere: quod ex eo apparere poteſt, quod nulla rarius gerantur bella, quam inter eiſdem religionis ſectas, & eiſdem rei publicæ factiones, ubi certamen eſt, vel de doctrinis, vel de prudentia politica. Cumque omnis animi voluptas, omniſque alacritas in eo ſita ſit, quod quis habeat, quibuscum conferens ſe poſſit magnifice ſentire de ſe ipſo: impoſſibile eſt, quin odium & contentum mutuum oſtendat aliquando vel riſu vel verbis, vel geſtu, vel aliquo ſigno: qua quidem nulla maior animi eſt moleſtia, neque ex qua lædendi libido maior oriri ſolet.

## §. VI.

Frequentiſſima autem cauſa, quare homines ſe mutuo lædere cupiunt, ex eo naſcitur, quod multi ſimul eandem rem appetant, qua tamen ſæpiſſime neque frui communiter, nec eam diuidere poſſunt; unde ſequitur fortiſſimi dandam eſſe: quis autem fortior ſit, pugna iudicandum eſt. Vnde hominibus naſcatur mutua ſe lædendi voluntas Auctor §. 4. 5. & 6. expoſuit, cauſis quibusdam ſpecialibus indicatis; quod facere ſuperfluum videri poterat, quia generalem cauſam, eamque ſatis notam, aſſignare ſuffecerat. Ideo vero ad ſpeciales ei veniendum fuit, ut haberet, quo bellum omnium in omnes probaret. Huius fundamenta in h. §. 6. ponit, ſed leuia plane & infirma. Nam ſi multi eandem rem appetant, qua nec communiter frui & quam diuidere nequeunt, nulla neceſſitas eſt, ut res pugna diiudicetur. Naturæ enim humanæ facultates non in ſola vi corporea conſiſtunt, ſed ratione quoque conſtant & affectibus, ut Auctor ſu-

pra docuit. Haec igitur ipsa eius principia & fundamenta ei opponimus, atque dicimus, si lis oriatur, rationem in iudicium esse vocandam, ut videamus cui res tribuenda sit; habendi vero cupiditatem & de bonis huius mundi contendendi libidinem affectu amoris, liberalitatis, misericordiae & pietatis expellendam esse. Sic bellum euitabitur, quod humanae naturae non convenire, ipse infra docebit. Quid ex his in seqq. efficere velit, videamus.

## §. VII.

Definitio  
iuris & in-  
re facti.

*Inter tot pericula igitur, quae quotidie a cupiditate hominum naturali unicuique eorum intenduntur, cauere sibi adeo vituperandum non est, ut aliter velle facere non possimus. Fertur enim unusquisque ad appetitionem eius, quod sibi bonum, & ad fugam eius, quod sibi malum est, maxime autem maximi malorum naturalium quod est mors: idque necessitate quadam naturae non minore, quam qua fertur lapis deorsum. Non igitur absurdum neque reprehendendum, neque contra rectam rationem est, si quis omnem operam det, ut a morte & doloribus proprium corpus & membra defendat conseruetque. Quod autem contra rectam rationem non est, id iuste & iure factum omnes dicunt. Neque enim iuris nomine aliud significatur quam libertas, quam quisque habet, facultatibus naturalibus secundum rectam rationem utendi. Itaque iuris naturalis fundamentum primum est, ut quisque vitam & membra sua, quantum potest, tueatur. Ipsi Autoris verbis contrarium breuiter sic probamus. Inter tot pericula non possumus non nobis cauere, quia natura ad appetendum bonum & fugiendum malum eadem necessitate ferimur, qua lapis fertur deorsum. Bonum autem appellamus, quod contra rectam rationem non est, idque simul iuste & iure factum omnes dicunt. Tale bonum nunc est conseruatio pacis & societatis humanae, vel, si forte rupta sit, eius redintegratio.*

Bellum

Bellum vero malum est, fateste Hobbio infra §. 13. Pax autem conseruari & redintegrari potest mediantibus quatuor illis facultatibus, quas supra ipse Autor posuit §. 1. Id ergo si fit, iuste & iure factum intelligitur. Nam iuris nomine nil aliud significatur, quam libertas, quam quisque habet facultatibus illis naturalibus secundum rectam rationem vtendi. Facultates vero ad societatem conseruandam primariae sunt, *Ratio & Affectus* amoris, liberalitatis, humanitatis & misericordiae. Ratio enim docet, quid cuique conueniat, & suum cuique tribuere laesionemque refarcire iubet. Affectus autem, quos dixi, eodem nos impellunt, & rationi opitulantur, vt pax seruetur, vel dissidia amice componantur, cautione de non laedendo interposita. Itaque prima omnium & sanctissima Lex Naturae est, *vt pax & societas inter omnes & singulos constanter seruetur: si quae oriuntur dissidia, iure, ratione & Amore componantur amice.* Quod si tamen huius legis beneficio frui per iniquitatem hominum non liceat, confugiendum est suadente id necessitate ad *vim corpoream*, atque id agendum, *vt quisque vitam & membra sua quantum potest, vi opposita tueatur.*

§. IIX.

*Quoniam autem ius ad finem frustra habet, cui ius ad lus ad finem media necessaria denegatur, consequens est, cum vnusquisque se dat ius ad conseruandi ius habeat, vt vnusquisque ius etiam habeat, vtendi omnibus medijs, & agendi omnem actionem, sine qua conseruare se non potest.* Haec omnia pro societate dicta accipimus, & in rem nostram verla retinemus, ita tamen vt verba illa Auctoris, omnibus medijs, omnem actionem intelligamus de talibus, quae cum *Ratione & Affectibus* toties inculcatis possunt consistere, quaeque vere necessaria sunt; non quae quis talia sibi fingit. Nam pro nostra conseruatione aduersus inimicum vel hostem ius competere in infinitum negamus cum Cicerone, qui praecclare

clare lib. I. de off. cap. 11. *Sunt autem, inquit, quaedam officia, etiam aduersus eos seruanda, a quibus iniuriam acceperis. Est enim ulciscendi & puniendi modus.* Si Auctoris doctrinam sequi vellemus, *Rationem & Affectus frustra nobis datos asserendum esset: quod absurdum.*

## §. IX.

*Iure naturali unumquemque iudicem esse mediatorum, ad suam conseruationem.*

*Vtrum autem media quibus vsurus quispiam est, & actio quam acturus est, ad conseruationem vitae & membrorum, ad pacis & societatis, necessaria sint nec ne, ipse iure naturali iudex est.* Debet autem iudicare secundum quatuor facultates humanae naturae; est enim homo, non bestia: & facultates illae omni necessitate debent vsum & effectum aliquem habere, ne frustraneae sint. *Si enim contra rectam rationem sit, vt de proprio periculo ipse iudicem, iudicet alius. Quoniam ergo alius iudicat de iis rebus quae ad me spectant, eadem ratione, quia aequales natura sumus, iudicabo ego de iis rebus, quae ad ipsum spectant. Itaque rectae rationis, hoc est iuris naturalis est, vt ego de illius iudicem sententia, scilicet an ad conseruationem meam conducat, nec ne.* Omnes nempe ad id sumus facti, vt facultatibus ad pacem facientibus vtamur. Recta imprimis ratio, data nobis est, vt secundum eam iudicium feramus: hoc commune & aequale ius est omnium, quia aequales sumus. Promiscue ergo iudicamus & iudicare possumus de actionibus omnium, an cum societatis cultu & ratione conueniant, idque agimus communi rationis instrumento, & ex communibus societatis atque naturae humanae principiis, vt dictum. Iudicio itaque nostro si recte vtimur, nihil in eo mali est, quando de aliorum actionibus iudicamus, & alii de nostris. Nam ex dictis illis principiis & mediante communi rationis instrumento eadem plane omnium sententia proueniet: ad eandem enim regulam eundemque finem societatis iudicium nostrum dirigitur.

## §. X. Na-

## S. X.

Commun

Natura dedit unicuique ius in omnia, sed non alia, quam iure natu-  
 quae ad communem humani generis vsum a natura exposuit. rali omnia  
 Hoc est in statu mere naturali, siue antequam homines ullis pa-esse omni-  
 Et sese inuicem obstrinxissent, unicuique licebat facere quaecun-  
 que, & in quoscunque libebat, & possidere, vti frui omnibus,  
 quae volebat & poterat. Ita tamen vt nihil contra quatuor il-  
 las facultates principiorum loco supra positas, praecipue contra  
 rationem & affectus, committatur. Sunt enim illae, vt toties  
 diximus, humanae naturae facultates. Nam homo agit vt ho-  
 mo: & quod illi concessum est ius in omnia, concessum est  
 qua homini, vt illo vtatur, vt talis, non vt bestia. Bestiae si-  
 miliquidem iure vtuntur, sed suo modo, secundum suas facul-  
 tates. Ab his vero non exigimus, vt agant vt homines. Itaque  
 poterat ille iure in omnia vti, modo ius aequale aliorum non  
 laederet, nec amicitiam & societatem violaret. Poterat ergo  
 ab omnibus indistincte hominibus quaelibet officia humanitatis  
 exigere, & vt breuis sim, ea facere quae cum facultatibus  
 eius non pugnant: non autem licuit quaecunque & in quos-  
 cunque licebat, vt Auctor loquitur, statuere, neque posside-  
 re omnia, nec frui omnibus, quod ne quidem natura fieri potest,  
 quia corporis necessitates non sunt inexhaustae & inexplebiles,  
 vt toto mundo egeant. Quoniam enim, quaecunque quis vo-  
 luerit, ideo bona sibi videntur, quia ea vult, possuntque vel con-  
 ducere ad sui conseruationem, vel saltem conducere videri; iudi-  
 cem autem an vere conducant nec ne, praecedente articulo ipsum  
 constituimus, ita vt habenda sint pro necessariis, quae ipse iudicat  
 talia; & per articulum 7. iure naturae fiunt & habentur, quae  
 necessario conducunt, ad tuitionem propriae vitae & membro-  
 rum: sequitur omnia habere & facere in statu naturae omnibus  
 licere. Et hoc est quod vulgo dicitur, Natura dedit omnia omni-  
 bus.

bus. Ex quo etiam intelligitur in Statu Naturae, mensurant iuris esse utilitatem. Quae Auctor inepto & falsissimo ratiocinio colligit, cum societate & facultatibus hominis consistere nequeunt. Nam societas ius verum infert. Et quod Natura singulis dedit, hoc ita concessit, vt a nemine auferri possit. In iure quoque constituendo ad alia sine dubio respexit, quam ad utilitatem. Homine creato, ius simul constitutum intelligitur. Quod vero ille ad solam utilitatem sui vel aliorum, & quidem vanam illam & terrestrem creatus sit, nos certe affirmare nunquam audebimus. Sed mittimus haec, quia scopus noster est Societatem ex principiiis Hobbi demonstrare.

## §. XI.

Ius omnium  
in omnia  
innile esse.

Minime autem vile hominibus fuit, quod huiusmodi habuerint in omnia ius commune. Nam effectus eius iuris idem pene est, ac si nullum omnino ius extiterit. Quanquam enim quis de re omni poterat dicere, hoc meum est; frui tamen ea non poterat propter vicinum, qui aequali iure & aequali vi praetendebat idem esse suum. Haec omnia confirmant, quae §. praeced. probauimus. Nam natura non facit contradictoria: & fieri nequit, vt ius aliquod eodem modo & tempore sit & non sit. Illud vero negamus, homines vnquam tale ius habuisse in omnia, quale Auctor, sibi ipsi contrarius, supposuit. Neque enim conuenit vi corporeae hominum. neque experientiae, neque rationi, neque affectui, stultamque continet impossibilitatem, quasi vnus homo omnia possit aut habere aut concupiscere. Sed nolumus extra oleas vagari.

## §. XII.

Statum ho-  
minum ex-  
tra socie-  
tatem bellum  
esse.

Ad naturalem hominum proliuitatem ad se mutuo lacefendendum, quam ab effectibus, praesertim vero ab inani sui aestimatione deriuant, si addas iam ius omnium in omnia, quo alter iure inuadit, alter iure resistit, atque ex quo oriuntur omnium aduer.

39

aduersus omnes perpetuae suspiciones & studium, & quam difficile sit praecauere hostes paruo numero & apparatu, cum animo nos praeruertiendi opprimendique inuadentes, negari non potest, quin status hominum naturalis, antequam in societatem coiretur, bellum fuerit: neque hoc simpliciter, sed bellum omnium in omnes. Bellum enim quid est, praeter tempus illud in quo voluntas certandi per vim verbis factisque satis declaratur? Tempus reliquum pax vocatur. Bellum omnium in omnes non sequitur ex iis, quae A. praemisit, sed pax. Nam constans & perpetua voluntas omnes laedendi, nulli hominum adest, nec existere potest. Non possumus enim cum omnibus actu certare; & si vellemus, nulla esset causa, cur cum omnibus velimus pugnare. Et dum cum vno manus conferimus, vel multis, cum reliquis vtique in pace viuimus. Neque etiam vires nobis sunt cum omnibus decertandi. Animo quoque humano plane repugnat bellum omnium in omnes. Quin & ipsa vox laesionis supponit statum contrarium, quem laedimus. Nisi ergo pax inter homines vniuersaliter confisteret, laesio & voluntas laedendi ne cogitari quidem posset. Laedere enim est, discedere a pace. Ius omnium in omnia, quod *Hobbius* voluntati laedendi addit, est non ens, vt ipse §. praeced. fassus est; nihil igitur ex eo efficitur. Id vero ex hypothesi Auctoris sequitur, inter homines esse pacem, at talem quae actibus illi contrariis de facto interdum interrumpatur. Sed quid hoc ad rem? Supra §. 2. quaestio proposita fuit an homo natura sit aptus ad societatem. Hanc quaestionem Auctor negauit & contrarium probandum sibi sumisit. Nihil aliud autem ostendit, vti ex hoc loco patet, quam homines de facto interdum se mutuo laedere: quasi nemo id scire possit, nisi perplexis & vanis *Hobbi* ratiociniis persuasus. Quin ex *ipsis* eius verbis absurdam adhuc contradictionem eliciamus: Si, antequam homines in societatem coi-

C 2  
rent,

rent, inter eos perpetuum fuit bellum propter mutuam laedendi facultatem & voluntatem, idque societatem inter eos sustulit, vel, (vt ei, quod in quaestione est, conuenientius loquar,) si homines propter id nunquam fuerunt apti ad societatem, sequitur, ne hodie quidem, postquam metu homines in societates se conferre coacti sunt, societatem inter eos esse, quia bellum illud hodie adhuc durat. Voluntas laedendi omnibus hodie dum adest, a primis hominibus in nos propagata. Nulla est vsquam securitas, nec hospes ab hospite tutus, frater fratrem metuit, & socius socium, nec patri filius, nec filius patri placet. Nulla pii gratia est, vt Hesiodus dixit, neque iusti neque boni: malos & iniurios viros colimus. Pudor & Nemesis in coelum migrarunt; graues vero dolores reliquerunt; & κακὸν δὲ ἐσσεῖσθαι ἀλήθ, mali remedium non erit. Ergo, nec hodie est societas in societate ciuili, sed bellum. Ergo, vt Poeta canit

Νῦν δὲ ἐγὼ μὴ' αὐτὸς ἐν ἀνθρώποισι δίκαιον  
 εἶην, μὴτ' ἐμὸς υἱός. ἐπεὶ κακὸν ἄνδρα δίκαιον  
 ἔμμεναι, εἰ μείζω γε δίκην ἀδικώτερος ἔξει,  
 Ἄλλὰ τὰν' ἄπω εὐλοπα τελεῖν δια τεργικέραυνος

Nec ego nunc ipse inter homines iustus

Sim, nec meus filius: quando malum est iustum

Esse, siquidem plus iuris iniustus habebit.

Sed hoc nondum arbitror facturum louem fulmine gas-  
 dentem!

§. XIII.

*Bellum con-*  
*seruationis*  
*hominum*  
*aduersum*  
*esse.*

Sempiternam autem bellum quam parum idonea res sit, ad conseruationem vel humani generis vel vniuscuiusque hominis, facile iudicatur. At sua natura sempiternum est, quod praecertantium aequalitate victoria nulla potest finire: in eo enim ipsis victoribus periculum semper adeo imminet, vt pro miraculo haberi debeat, si quis, quanquam fortissimus, armis & senectute conficit.



conficiendus sit. Exemplum huic rei seculum praesens Americanos exhibet: Secula antiqua caeteras gentes, nunc quidem civiles florentesque, tunc vero paucos, ferros, brevis aevi, pauperes, foedos omni eo vitae solatio atque ornatu carentes, quem pax & societas ministrare solent. Quicumque igitur manendum in eo statu censuerit, in quo omnia licent omnibus, contradicit sibi et ipsi. Nam unusquisque naturali necessitate bonum sibi appetit, neque est quisquam qui bellum istud omnium contra omnes, quod tali statui naturaliter adhaeret, sibi existimat esse bonum. Atque ita evenit, ut mutuo metu e tali statu exeundum, & quaerendos socios putemus: ut si bellum habendum sit, non sit tamen contra omnes, nec sine auxiliis. Haec omnia, paucis mutatis, probamus, ne saepius dicta repetere necesse sit. Stabiliunt enim societatem a Natura constitutam, quam credibile est, tanta sapientia praeditam esse qua sunt omnes homines, imprimis Hobbii, ut, cum homines faceret, non ignoraret, quae hominibus noxia aut utilia forent, neque illos in mutuam perniciem armare, impellere, aut in statu belli collocare voluerit, ex quo ipsi deinde sua demum prudentia exire, & statum pacis introducere necesse habuerint.

## §. XIV.

Quaeruntur socii vel vi, vel consensu: vi, quando victor victum servare sibi cogit metu mortis, vel vinculis inditis: consensu, quando societas initur mutuae opis causa, consentiente utraque parte sine vi. Potest autem victor victum, vel fortior debiliorem (ut sanus & robustus infirmum vel maturus infantem) ad praestandam cautionem futurae obedientiae, ni velit potius mori, iure cogere. Cum enim ius protegendum nosmet ipsos nostro arbitrio a periculo nostro, atque periculum ab aequalitate profectum sit, magis rationi consentaneum est, certiusque ad conservationem nostram, utendo praesenti commodo comparare nobis ipsis

ipsis securitatem quaesitam, accepta cautione, quam cum adoleuerint, conualuerint & e nostra potestate se receperint, eandem dubio certamine postea repetere conari. Contraque absurdus nihil cogitari potest, quam ut quem debilem in potestate tenes, cum amittendo fortem simul & hostem facias. Haec pleraque facti sunt, & ex supra dictis diiudicanda. Ex quo intelligitur etiam tanquam corollarium in statu hominum naturali, potentiam certam & irresistibilem ius conferre regendi, imperandique in eos, qui resistere non possunt. Si ius & factum, nec non vis corporea, ratio & affectus humanitatis omnes sunt vnum idemque, verum est Auctoris corollarium & recte se habet. Adeo ut omnipotentiae, ab ea causa omnium rerum agendarum ius essentialiter & immediate adhaereat. De omnipotentia diuina haud dubie loquitur Hobbius, vt infra cap. 15. §. 5. & seqq. vbi Deo ius dominantis ob solam potentiam irresistibilem tribuit. Sed si talem ille potentiam considerandam putat, qua immensus ille Amoris abyssus insuper habeatur aut excludatur, profanum & execrabile esse hoc dogma asserimus. Nam Deus totus est Amor, nec melius concipi a mortali potest.

## §. XV.

*Naturam dictare quae redden- dam esse patet.* Propter tamen inaequalem illam virium caeterarumque facultatum humanarum hominibus in statu Naturae, hoc est, in statu belli constitutis, conseruatio sui diuturna expectari non potest. Quare quaerendam esse pacem, quatenus habendae eius spes aliqua effulserit, nec quicquam intentatum relinquendum, vt eam obtineamus; ad eumque finem omnibus Rationis & Affectuum humanorum viribus contendendum: vbi haberi non potest, quaerenda esse belli auxilia, rectae rationis dictamen est: hoc est, Lex Naturae, vt proxime ostendatur.

F I N I S.

Marburg, Diss., 1719-24

ULB Halle

3


003 599 06X



7A → OLSb. †  
Nur 4H. 11 Stück vorliegen

VD08





17750

3 28 4

ed Grobian

M

1722, 3

4.

~~P A C E M~~

ET

SOCIETATEM HVMANI  
GENERIS NATVRA  
CONSTITVTAM

EX IPSIS PRINCIPIIS

T. HOBBI

PROBATAM

DISPV TATIONE ACADEMICA

PROPONVNT

P R A E S E S

IOH. FRID. HOMBERGK

zu Nach

P. P.

ET


R E S P O N D E N S

CAROLVS GVILIELM. DE VERNAH

DANTISC. BORVSS.

DIE VII. MARTII

h. l. q. f.



MARVVRGI CATTORVM,

Typis PHILPPI CASIMIRI MÜLLERI, Acad. Typogr. 1722.

